









3400.

No. 13.  
#V. 1664, 22

23

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO POLITICA

<sup>De</sup>  
**MAIESTATE,**

<sup>Quam</sup>  
DEO Ter Opt. Ter Max. coadjuvante

<sup>&</sup>  
Amplissimâ Facultate Philosophicâ indulgente  
PRAESIDE

M. JOHANNNE CHRISTO-  
PHORO Sundeshagen/ Molhusino, Ampliss.  
Facult. Philosoph. Adjuncto,

*Publicae Eruditorum censurae submittit*

RESPONDENS  
JOHANNES KEYLINGIUS,  
Königsbruccâ-Lufatus,  
*Ad diem Martii*

<sup>In</sup>  
Auditorio Philosophorum.

---

J E N A E,  
TTPIS JOHANNIS JACOBI BAUHOFERI,  
ANNO Cl. Id. LXIV.





247

DISSERTATIO POLITICA

MAJESTATE

DEO ET OPTIMO PRINCIPI

AVGUSTO

BRUNSVIGI

JOHANNI CHRISTO

PHILOSOPHO

AVGUSTO

PHILOSOPHO

PHILOSOPHO

JOHANNI KEPLERICO

PHILOSOPHO

PHILOSOPHO

Auditorio Philoſophorum

J. E. N. A. E.

THEO. JOHANNIS JACOBI HANNOVERIENSIS

ANNO MDCCCLXXV







Σὺν Θεῷ

## PROOEMIUM.

**S**ocrates, qui non immeritò περὶ πατέρων Σοφίας ἀγαλμα nonnullis vocatur, generosum omnique favore dignum ingenium judicabat, cui Disciplina Politica essent cordi. Quod perpendentes animò decrevimus nostrò Dissertationem Politicam de Majestate publico Eruditorum examini sistere, in qua rem acu si non semper tetigimus, veniam nobis ab omnibus Bonis pollicemur, cum praesertim meliora docti lubentes cedere parati simus. Procul ergò sint profani, & quisquis placidiore natus est sidere, conatibus nostris faveat. Sit ergò BONO CUM DEO.

### §. I.

**R**em ipsam antequam aggrediamur, paucas lineolas lubet de ὀνοματολογία praefari, unde jam descendat hæc vox; Principum Philologorum phalanges tot hîc concertationibus dimicant, ut, quò nos vertamus, vix appareat. In praesenti tantùm recensebimus unam atque alteram derivationem, & iudicium aliis cordatioribus committemus. Festus matrem Majestati assignat Magnitudinem. Prisciano descendit à Majore, quemadmodum ab honore honestas. Aliis verò quasi Major stans vel Major status, cum culmen supremæ dignitatis ibidem delitescat. Beemanno deducere prolubium est à τῶ Majus, sicuti à Venus Venustas, à Vetus Vetus, à tempus Tempestas, ab egus (quod intermortuum, sed in indigus hodiè vivit) egestas.

A 2

§. II.



§ II.

**M**ajestas apud veteres Ethnicos DE Æ à Reverentia & Honore genitæ nomen erat. Deinceps non solum personis, sed etiam rebus inanimatis tribuebatur, quo sensu apud *Livium* dicitur Majestas Loci, apud *Tullium* Majestas in Oratione. Personis quando ista vox tribuitur, sumitur I. pro infusa quadam vi & animi magnitudine, quâ qui supra cæteros excellunt, cæteris imperare debent, quemadmodum accipit *Boxhornius l. 1. instit. Polit. cap. 4.* II. pro honore, dignitate officii reverentia. Qua ratione plurimi salutantur Reges, qui tamen regiâ potestate destituuntur, qualis erat Rex Danorum tàm temporis, cum, ut refert *Arniseus lib. 1. docty. Polit. c. 11.* *Friederico I. Imperatori* his verbis fidem daret. *Rex Danorum Magnus se in potestatem Imperatoris tradidit, obsides dedit, juramentum fecit, se successoresq; suos, non nisi Imperatoris & Successorum ejus permissu regnum adepturos.* III. Vox Majestatis sumitur pro eminenti dominio vel pro summa potestate superiorem non recognoscente; Quam Græci κύειον πολιτεία, αυτοκρατορίαν, πύειαν ἀρχήν, δύναμιν ἢ ἀρχήν πολιτικὴν, ἀκρην ἐξουσίαν vocant. A *Jacobo Patriarcha, Gen. 49.* *𐤅𐤃𐤅* sceptrum indigitari putat *Buxtorff. in Lex. p. m. 766.* Latini Scriptores appellant eam Rerum summam, Jus imperii, summam potestatem, superioritatem, absolutam Jurisdictionem, plenitudinem potestatis, arbitrium rerum omnium &c. Quomodo Itali, Galli, Hispani eam vocare soleant, vide apud *Besoldum dissert. Polit. Juridic. de Maj. cap. 1. p. 3.* Quæ de nomine dicta sufficiant.

III.

**I**am quoque naturam atque essentiam ejus indagare debemus: Definitur verò à Nonnemine, quod sit summa unius in regenda Republ. potestas. Quam definitionem suo definito angustiolem propter voculam *Unius* rejicimus. Cum per eam Majestas tantum ad *Monarchiam* restringatur, in qua penes unum est summa potestas, At verò hæc non tantum in *Monarchia*, sed quoque in aliis Rerum publ. formis reperitur. Hinc *Boxhornius in Instit. Polit. lib. 1. cap. 4. p. 46.* inquit, *Majestatem*



terum quodvis imperium, cuiusq; sit forma, habere dicimus, quod sui iuris seu liberum, alteriq; in terris non subiectum est. Nempe Majestatis vocabulum licet frequentissimè soleat unius imperio attribui, quia in uno clarius apparet, tamen in cæteris formis imperiorum eadem est. Non enim in paucitate personarum consistit Majestas, sed in jure summi Imperii. Hinc particula Unius debet in definitione omitti.

#### IV.

Missâ igitur hâc definitione monemus Majestatem dupliciter posse considerari, vel in Longitudine & ratione superioritatis; vel in Latitudine & ratione objecti; pro diverso hoc considerandi modo diversæ quoque definitiones exhiberi possunt. Priori si pensculatur, modo dici potest, quod sit summa Imperantis vel Imperantium potestas. Hâc autem significatione lectâ, nos in præsentem eam consideraturi sumus in posteriori significato, quâ ratione Majestatem definit, Aristot. 3. Pol. c. 6. meæ additionis quando ait: τὸ πολῦτερον τῆς πόλεως παταχὸν κρείον. h. e. Majestas est in civitate ubique summa potestas. Cujus definitionis singulæ particulæ sunt perpendendæ.

#### V.

Dicitur I. Potestas, quæ vox ambiguitate est pressa & sumitur potissimum tripliciter; I. Metaphysicè, prout opponitur actui & ita potestate esse dicitur, quod actu non est vel existit. II. Physicè, pro facultate aliquid agendi, quomodo dicimus animæ rationalis diversas dari potestates. III. Politicè vel etiam Juridicè pro Jurisdictione vel Imperio, & hæc acceptio ultima est hujus loci propria.

#### VI.

AT verò à nobis diversum sentire videri alicui posset hoc in negotiò Lampadius, quippe qui in tractatione de Republ. Roman. German. part. 1. §. 9. & 10. Majestatem non per potestatem, sed per potentiam activam definit, & definitionem potentia activæ à Stagiritâ. II. Metaph. c. I. traditam ipsi accommodat; ubi potentia activa dicitur principium transmutandi aliud aut quatenus est aliud. Verum enim verò hîc cautè distinguendum est, inter potentiam activam physicam, & inter potentiam



activam moralem: Si Lampadius potentiam activam physicam intelligit, tunc ejus sententiæ non subscribimus. Sin verò intelligit potentiam activam moralem, tunc non habebit nos repugnantes, & sic potest definitio potentiæ activæ Mejestati accommodari, sed non nisi per analogiam & similitudinem quandam.

#### VII.

Dicitur II. *Summa potestas*. Ob quam particulam hanc definitionem obscuritatis Noñemo incusat. *Vocabulum illud (summa) comparativum est, (ait) ad alias inferiores potestates, quæ quales sint, non explicatur.* Verum non una suppetit nobis responsio ad hoc dubium solvendum. I. Vox illa eam continet vim, ut sine comparationis intuitu id, quod augustissimum maximum & amplissimum habetur, absolute denotet. Sic DEUS dicitur maximus, summus, etsi unus & nullum respectum habeat ad alios veros Deos. Sic & Majestas Reipubl. quæ una & eadem est, quod absoluta, quod Amplissima, quod maxima, ac quod ipsum Imperii fastigium comprehendat, summa potestas dicitur, à quâ quicquid reliquarum potestatum in Republ. existit, veluti ab uno apice dependeat. Deinde II. Majestas potest quoque appellari *summa potestas comparatè*, in comparatione scilicet ad alias in eadem civitate potestates, quas Magistratus dependens & subordinatus exercet, quarum potestatum intuitu est quasi fons & origo splendidissima. Immeritò igitur obscuritatis hæc definitio ob istam particulam (*summa*) insimulatur.

#### IIIX.

Quando autem Majestas dicitur potestas *summa*, id cum grano salis accipiendum est, id enim non potest intelligi, quasi Majestas, nullam planè habeat superiorem, sed tantum dicitur *summa*, quia præter Dei immortalis potestatem inter homines non agnoscit superiorem, seu quia nulli præterquam Deo subiecta est; huic enim omnis alia subjacet potestas, ad hujus aram litant Reges Dominiq̃ terræ, ejus gratia sunt quod sunt. Ejus nomine præstant quod præstant, Deiq̃ Ministri



nistri & inter homines Dii audiunt. Hinc natae etiam sunt  
formulae, quibus Principes summam potestatem in his terris gau-  
dentes uti communiter dici solent, scilicet, NOS DEI GRA-  
TIA, germ. **Wir von Gottes Gnaden.** Licet enim qui-  
dam Principes, qui sub alieno imperio sunt, adeoque sum-  
mam potestatem non habeant, hanc etiam formulam utantur.  
Distinguendum tamen hic accuratè est inter formulas Pieta-  
tis & Autoritatis. Formulam Pietatis utuntur, qui aliquem su-  
periores habent; Autoritatis verò, qui nullum majorem  
cognoscunt. Vid. *Boxhornius l. c. p. 46.* Nec *Bodinum* mora-  
mur, qui *lib. 1. de Repub. cap. ult.* Majestatis & aliorum horum  
titulorum usum impietatis accusat & quaerit, quid amplius  
praepotenti & immortalis DEO tribuendum, si quod ejus pro-  
prium est, eripimus? Respondemus, has appellationes, qui-  
bus maerantur Principes, important officii commonefatio-  
nem, quod nempe DEI in his terris sint Ministri & Vicarii.  
Deinceps Eminentiae Divinae communicationem, unde & ipsi  
olim DIVI agnominati & consecrati, seu in DEORUM nume-  
rum relati fuerunt. Tertio incitamentum ad exercendam  
exemplo DEI justitiam, clementiam & beneficentiam. Et  
denique hi tituli iudicant Principes & eorum regna à nutu Dei  
*Ter Opt. Ter Max.* dependere.

IX.

È ipso autem, quo dictum fuit, Majestatem in his terris  
esse summam potestatem, sciendum ulterius, potestatem  
summam dupliciter sumi: vel *positive*, qualis esset, quae omnia  
regna imperia & Respub. quotcunque in hoc terrarum orbe  
reperiuntur, sibi subiectas haberet, quae ratione pernegamus  
talem potestatem humanam reperiri, quae sic dici possit sum-  
ma, cum hoc soli Majestati divinae atque aeternae competat;  
Vel *negative*, ut sensus sit, non posse inter homines existere  
potestatem, quae sit Majestate superior. Hinc ipsa non est  
aestimanda ex Provinciarum & Regnorum magnitudine &  
multitudine. Etiam si aliquis exiguae civitati praesit, si modò  
nulli, nisi Deo sit subiectus, aequalem cum *Artaxerxe*, qui  
super



super 127. provincias regnabat, Esth. c. 1. atq; Alexandr. M. qui totum fermè orbem debellaverat, Majestatem habere existimamus. Sic *Eumenes*, licet fractis ædibus nihil præter arcem, in quâ obsidebatur, suum dicere poterat. Cùm tamen de pace ageretur cum Antigone, respondit, superiorem se neminem accepturum, quamdiu gladium exsertum manu teneret. *Platarchus in Eum.* & ex eo *Bodinus lib. 1. de Repub. c. 9.* qui propterea cap. 2. inquit. Sicut Elephas non magis animal dici debet, quàm formica: Sic Ragusia, civitatum ferè omnium, quæ sunt in Europa, minima, non minus Respublici dici debet, quàm Turcarum aut Tartarorum, aut etiam Hispanorum, quorum imperia iisdem finibus, quibus solis cursus, terminatur. Et quemadmodum exigua familia angustissimis gurgustis comprehensa, eodem familiarum jure censetur, quò, quæ superbissimis ac latè patentibus ædificiis gloriantur. Sic Ulysses, cujus Imperium Ithacæ scopulo continebatur, Rex æquè dicitur ab Hom. ac Agamemnon. *Hæc Bodinus.* Contrà verò si vel maximè quidam multas opes Attalicas, magnam auri & argenti copiam & Provinciarum multitudinem possideret, supremam tamen in his terris potestatem non agnosceret, expers esset Majestatis.

X.

QVemadmodum autem Majestas in his terris superiorem nullum habet: ita nec parem nec æqualem admittere in eadem Repub. potest. Quod tamen intelligi debet de Majestate in tota sua latitudine considerata, non autem de Majestate ratione Superioritatis & in longitudine accepta. Sic enim possunt omninò vel duo, vel tres, vel etiam plures in aliqua Repub. esse, inter quos Majestatis Jura æqualiter planè sunt divisa, & quorum quilibet Majestatem habet ratione superioritatis, adeòque in majestate pares sunt illi Imperantes. Neuter tamen habet Majestatem in tota sua latitudine & ratione omnium objectorum, hæc enim parem vel æqualem in eadem Repub. non admittit.

XI.



XI.

Z

EX his, quæ sunt dicta, liquet, quid sentiendum sit de sententiâ, quâ quidam Majestatem minimè per summam potestatem, sed per potestatem egregiam aut excellentiam honoris describit, & definitione Aristotelis tanquàm falsa rejectâ, aliam eamque geminam substituit; quarum una est, quòd Majestas sit honor quidam eximius, illis competens, quibus Lex & consuetudo eum tribuit. Altera, quòd Majestas sit eximia potestas, competens Reip. vel Personæ, quæ illi præest in excellentiori aliquo munere vel officiò. Hâc hypothesei substratâ distinguit ipse ulterius in majorem, minorem & maximam; vel in inferiorem, superiorem & supremam. Quos gradus omnes sub Majestate, tanquàm sub genere suo comprehendi atque sic minorem seu inferiorem Majestatem non minus Majestatem esse, quam maximam & supremam conceptis verbis asserit. Verùm huic adserto obstat, quod Principes imperii & cum primis Electores eximio honore eximiâque potestate in nostro imperio gaudent, neque tamen ipsis Majestatem tribuere solemus. Missâ igitur hâc subtilitate, Majestatem adhuc in summâ potestate consistere constanter asserimus, ita quidem, ut sine contradictione superiorem in his terris cognoscere nequeat, ceu rectè docuit Hugo Grotius Lib. 1. c. 3. §. 7. qui Majestatem itidem per summam potestatem definit & addit ibidem: *Summa autem illa dicitur, cujus actus alterius juri non subsunt, ita, ut alterius voluntatis arbitrio irriti possint reddi. Alterius cum dico ipsum excludo, qui summa potestate utitur, cui voluntatem mutare licet, ut & successorem, qui eodem jure utitur, ac proinde eandem habet potestatem, non aliam.* Videtis proscriptum Hippol. à Lapide, part. 1. c. 3. §. 2. Nobiliss. Dn. Conring. in Disput. de Majestate Imperantium.

XII.

SEd nondum omnis difficultas expiravit. Sunt enim, qui inficias eunt, Majestatem esse ejusmodi potestatem, quæ præter Deum immortalem superiorem non agnoscat, cum ea semper & sine exceptione populi potestatem tanquàm superio-

B

perio-



periorē agnoscat. Idque cō nfirmant tali argumento:  
Si Rex habet potestatem à populo, sequitur, quòd populo non sit supe-  
rior: Antecedens est verum, E. & Consequens.

XIII.

**A**Ntequàm hoc dubium decidatur, quæstio priùs movenda est, an sc. summa potestas Reip. primò & immediatè in-  
sit populo, ut v. gr. Rex à populo suam accipiat potestatem,  
an verò non à populo, sed à Deo eam habeat? Quòd Rex  
immediatè à Deo, non à populo potestatem habeat, defen-  
dit Marcus Anton. de Dominis, libro sexto de Repub. Ecclesiast. cap. 2.  
inquiens: Prorsus itaque statuo, ut in matrimonio vir sit mulieris  
caput, non à muliere, sed à Deo; ita populus in capite assumpto Maje-  
statem agnoscit, non quàm ipse per actum ullum tralatitium contulit,  
sed quàm caput hoc politicum immediatè à Deo, ut fontali secularis po-  
testatis lumine, per irradiationem quandam accepit. Utitur quidem  
Deus operà humanà multitudinis, (nec tamen semper) in eligendis &  
deputandis certis personis, ad Regimen seu Magistratus: sed nemine uti-  
tur ad communicandam actualem potestatem regendi & gubernandi,  
quam ipse solus immediatè communicat Personæ, humanis modis & me-  
diis deputatæ. Et ita communitas inchoò potuit statuere, num Monar-  
chicè, num Aristocraticè, num Democraticè, num mixtim regi debeat:  
Sed potestas reactiva tam in populo quàm in Optimatiõs, quàm in Rege,  
eadem est & sanè divina & à Deo immediatè semper prodiens. Hæc  
Marcus Antonius de Dominis cit. loc. §. 21. habet. Gemella in paragraphis subsequentibus itidem reperies. Et  
pro hâc sententiâ confirmandâ (quod quidem ad Theologo-  
rum subsellia spectat, sed liceat nobis cum pace eorum ex  
Marcò Antoniò de Dominis istud adducere;) Exemplum  
Saulis adfert, qui à Deo immediatè constitutus fuit. Ut con-  
stet, quid de hâc quæstione sentiendum, ante omnia distin-  
guendum est inter potestatem politicam ratione Essentiæ suæ conside-  
ratam; & inter potestatem quoad usum & exercitium. Potestas Po-  
litica ratione Essentiæ considerata à Deo est immediatè: Deus  
enim immediatè fecit hominem ζῶον πολιτικόν, ut homo appe-  
tat vivere in societate vel Republica, quia autem Respubl.  
fine



sine potestate consistere nequit. Ideò Deus simul instituit potestatem, per quam Respub. dirigatur. Sin verò potestas consideratur quoad exercitium & usum, quatenus nempe Rex eam ad usum transfert, eâque actu utitur, eatenus non semper immediatè est à Deo, ita ut à Deo immediate semper ea conferatur Regi, sed à populo sæpiùs Regi conceditur, quippe qui potestatem quoad essentiam à Deo glorioso natus fuit, quò per eam communitas aliqua dirigatur. Quam populus postea transfert in unum aliquem vel plures, qui exercitium hujus potestatis instituunt, eamq; ad usum transferant, & ita immediatè quandoque à populo potestas est. Idq; cernere licet ex eo, *quia hæc potestas interdum per unum, interdum per plures exercetur, ut autem summa potestas jam per unum, jam per plures exercentur, non semper à Deo immediatè fuit ordinatum & institutum. Nusquam enim Deus instituit aut determinavit, ut vel per unum tantum, vel per plures tantum dirigi debeat Respub.* E. quod modò per unum, modò per plures exercentur summa potestas, id est juris humani, prout nempe populo visum fuerit, ut vel unus vel plures ad clavum Reipublicæ federent. Exemplum Saulis quod concernit, nihil aliud istud probare dicitur, quàm quòd quædam persona immediatè à Deo potestatem etiam quoad exercitium adeptam fuerit; exinde tamen nondum sequitur, E. omnes in universum Imperantes immediatè à Deo illud exercitium summæ potestatis accipiunt.

#### XIV.

[Am ad argumentum §. 12. motum responderi debet inficiando consequentiam. Non enim sequitur: *Si Rex habet potestatem à populo, sequitur quòd populo non sit superior*, possunt enim Imperantes licet à populo potestatem accipiant, adhuc eò superiores esse. Quod ut intelligat, sciendum, populum posse conferre potestatem Imperantibus dupliciter. (1.) *privativè seu abdicativè & irrevocabiliter*; quando populus omnem deponit potestatem, quæ aliàs ipsi competit, & eam in Regem transfert. Quod si factum fuit, tunc falsum est, quòd Imperantes non sint superiores populò: Populus enim,

B 2

quia



quia omnem potestatem in Imperantes contulit, nullam amplius habet; Imperantes autem, qui jam omnem potestatem adepti sunt, superiores sunt populo nullam potestatem amplius possidente. Hinc id, quod ab initio fuit liberæ voluntatis, Imperantes sc. non eligere ipsisque non parere, postquam electi & liberâ voluntate constituti sunt, factum est necessitatis, adeo ut jam necessario subjiciantur, ipsisque pareant. Quod olim eleganter Valentinianus Imperator militibus, qui se imperatorem fecerant postulantes, quod ipsi non probabatur, ostendit inquit: Ut me ad imperandum Vobis eligeretis, in vestra situm erat potestate, o milites: at postquam me elegistis quod peritis, in meo est arbitrio, non vestro. Vobis tanquam subditis competit parere, mihi quæ facienda sunt cogitare, ut refert Hugo Grotius l. 1. de Jure B. & P. cap. 3. §. 8. Sed quando in Regem populus *abdicative* omnem potestatem confert, tunc & hoc potest fieri bifariam, vel ut populus omnem potestatem transferat in Regem ejusque posteros per naturalem generationem ab ipso descendentes. Hac ratione summa potestas competit posteris jure hæreditario, quod habet fundamentum suum in consensu populi. Exinde enim filius Regis habet jus potestatis Regiæ, quia populus consentit, ut à patre derivetur in filios summa potestas; talia *regna hæreditaria* vocantur. Deinde populus *abdicative* potestatem confert in Regem tantum, seu in illud Individuum Regis solum, quod libero populi consensu electum est. Si prior modo populus potestatem concedit Regi *abdicative*, ita ut ad posteros etiam sese extendat, non tantum Rex, sed omnes ejus posteri superiores sunt populo, sin verò posteriori modo Regi confertur potestas, solum Rex est populo superior; (2.) potestas transfertur in Regem à populo *cumulative* & *revocabiliter*, seu ita, ut potestas principaliter maneat in populo, ex concessione autem populi unusea fungatur & summæ potestatis exercitium habeat; & tales non sunt proprie dicti Reges, cum non habeant summam potestatem, quippe quæ primario adhuc penes populum



lum est. Et de his verum est, quòd non sint superiores pò-  
pulo, causa autem est, quia saltim *cumulativè* acceperunt po-  
testatem à populo, non verò *absolutè*.

XV.

PRæter hoc, quòd Majestas sit summa potestas, quàm pluri-  
mi rerum politicarum non proletarii, sed celebres & ma-  
gni nominis Scriptores requirunt, ut etiam sit *perpetua pote-  
stas*. Idcirco Bodinus definit eam, quòd sit *in cives summa, per-  
petua legibusq; soluta potestas*. Quem sequitur CL. Stebenthal.  
colleg. polit. c. 8. th. 14 & 22. Qui ibidem asserere non erube-  
scit, Illus ergò inquiring, quibus ad breve aliquod tempus summa tribui-  
tur potestas, Majestas propriè non competit. Hinc nec consulare impe-  
rium apud Romanos, nec Dictatoris, quia VI. tantum mensium, ullius Ma-  
jestatis capax fuit &c. Videturq; sententia hæc probari & con-  
firmari posse hoc argumento: *Omnis potestas, quæ revocari pot-  
est, est precaria & dependens ab alia superiori, ideòque non summa: sed  
potestas ad certum tempus collata revocari potest. E. potestas illa est pre-  
caria & dependens ab alia superiori, atq; ita non summa*. Min. claret:  
Maj. probatur, quia nisi superiorem agnosceret potestas ad  
tempus concessa, revocari ea & cohiberi minimè posset.

XVI.

VERùm rectiùs contrariam prorsus sententiam tuetur Hugo  
Grotius lib. de Jure pacis & belli. cap. 3. §. 11. ubi Dictatori Ro-  
mano, cui ad tempus certum summa rerum erat concredita,  
Majestatem attribuit, dicens: *Summum imperium Dictator Roma-  
nus habebat &c neque enim illis assentio, qui Dictatori negant fuisse  
summum imperium, quia perpetuum non erat, nam rerum moralium na-  
tura ex operationibus cognoscitur, quare quæ facultates eosdem effectus  
habent, eodem nomine etiam sunt nuncupanda; At verò Dictator intra  
tempus suum omnes actus eodem jure exercet, quo Rex qui est optimo ju-  
re, neque ejus actus ab alio reddi irritus potest. E. idem etiam eodem  
jure Majestatem habet, quo Rex. Hugonis Grotii Σύμψυχοι  
sunt Lampad. part. 2. de Repub. Rom. Germ. Limnæus in Com-  
ment. super capitulationem Ferdinandi I. Nobiliss. Dn. Conrin-  
gius in Diss. de Regno. & alii non minoris Nominis & famæ viri.*



**A**utoritatibus hisce adduntur etiam rationes; Communis Regula Logicorum est. *Cuicunque competit definitio, eidem competit quoque definitum.* Unde subsumimus; summæ potestati ad certum tempus concessæ competit definitio Majestatis. E. & ipsi etiam definitum. Maj. claret. Min. ex definitione Aristotel. confirmatur, qua Majestas dicitur τῆς πόλεως πάντων καὶ κρείων, quæ definitio ex asse Dictaturæ Romanæ convenit. Quin& in rebus privatis Dominium ad certum tempus potest transferri, ita ut interim penes novum Dominum sit plenum Dominium; quid igitur obstat, cur non etiam populus Majestatem alicui tribuere possit, ita ut post tempus elapsum ea populo rursus jure ipso restituatur? Accedit & hoc, quod Majestas non sit immediatè in tota Repub. sed penes Imperantes in Republ. Neesse igitur est eò etiam in casu, quò ad certum tempus quis gaudet summâ potestate, interim penes Imperantem esse Majestatem. At populus qui abdicavit se eò tempore summâ potestate, non amplius Imperans est, neque amplius habet summam potestatem, quippe quam in aliam certam personam contulit. E. neesse est, tunc Majestatem esse apud eum, cui populus summam rerum ad tempus concedidit, nisi prorsus Rempub. sine Majestate statuere velimus, quod ἀτοπον.

## XIIIX.

**N**ec obstat, quod objicit Cl. Liebenthal loc. all. dicens: *si Majestas potest esse sine perpetuitate temporis, sequitur ex eò, tempore interregni in Imperio nostro Romano Germanico Majestatem esse penes Vicarios Imperii nostri, Saxonem nimir. & Palatinum; sed hoc à nemine Politicorum & Publicistarum fuit unquam assertum, neque enim ipsi Electores & Vicarii Saxo sc. & Palatinus sibi hujusmodi potestatem arrogarunt; E. ad Majestatem requiritur non tantùm, ut sit summa potestas, sed etiam sit perpetua, quæ duo adamantino necessitatis vinculo videntur esse in Majestate conglutinata. Huic opposito ut satisfiat, distinguendum est inter gubernationem & administrationem Imperii.* Quod



Quod si gubernatio imperii vel alterius cujusdam Reipub. alicui conceditur, ut ad certum tempus & revocabiliter, seu Dictatoribus Romanis factum, tunc omnino confertur in ipsum Majestas simul, siquidem populus h. m. *abdicative* confert in alium omnem suam potestatem; non *cumulative*. Secus autem se res habet cum *administratione Imperii* vel alterius cujusdam Reipub. quia per hanc Imperans non ipsam potestatem, sed ejus saltim exercitium assequitur, seu summa potestas manet ibi penes populum; Exercitium autem illius uni alicui conceditur, sed revocabiliter. Quia ergo in nostro imperio Romano tempore interregni Vicariis saltim *administrandi ratio* tribuitur, non *gubernandi* conceditur potestas; ideo nec Majestas hoc ipso iis confertur, sed manet illa tempore interregni penes omnes Electores & Status Imperii simul.

XIX.

AD argumentum supra §. 15. propositum *respondemus*: aliud esse potestatem semel concessam quovis tempore posse revocari; aliud eam revocari posse certo atque perfecto tempore. Jam verò potestas Dictatorum intra illud tempus, ad quod ipsis hoc concedebatur, non poterat revocari, atque sic quamdiu tempus illud durabat, irrevocabilis potestas & propriè dicta Majestas erat, quamvis deinde exactò & completo illo tempore potuerit revocari. Nam ut *Grotius* eruditè disserit; *Duratio temporis rei naturam non immutat, quamvis si de dignitate queratur, quæ Majestas dici solet, dubium non est, quin ea major sit in eo, cui jus perpetuum datum est, quam cui temporarium, quia ad dignitatem facit habendi modus.* Hæc *Grotius*. Illam verò Majestatem, quæ quovis tempore revocari potest, precariam dici posse non inviti concedemus.

XX.

Redimus jam ad *definitionem Aristot.* quæ dicit, Majestatem esse summam potestatem *in civitate*. Cùm itaque nulla olim Civitas, sed omnis potestas apud Patresfamilias erat, nondum dabatur Majestas. Sumitur verò vox *Civitatis* h. l. non



non pro ipsis ædificiis, urbē vel oppido; sed pro hominibus in societate civili viventibus. Sed porrò illa verba in civitate bifariam intelligi possunt; (1.) *subjectivè*, ita ut civitas sit & dicatur Majestatis subjectum, quomodo verba illa *Lampadius* p. 1. §. 60. explicat inquit: *Majestas essentialiter toti Reipub. ut subjecto adequato inheret.* Quæ explicatio etiam videtur proximè accedere ad mentem Aristotelis. (2.) *Objectivè*, ut Majestatis objectum significetur, quòd sc. civitas & omnia negotia civilia sint objectum, circa quod Majestas versatur. Et sic quoque nonnulli hanc definitionem exponunt.

XXI.

**N**ec est, quòd objicias, si Majestas residet penes Imperantes tantum, ut supra dictum, sequitur, quòd minùs rectè Majestatis subjectum statuatur civitas. Antecedens est verum. E. & Consequens. *Respondemus cum Hugone Grotio l. c. §. 7.* Subjectum aliud est commune, aliud proprium: ut visus subjectum commune est corpus, proprium oculus; ita summæ potestatis subjectum commune est civitas, proprium persona una pluresvè pro cujusq; gentis legibus ac moribus. B. Stahlius verò in oratione de duplici Majestate distinguit inter subjectum *quod & mediatum*, & inter subjectum *quo & immediatum* Majestatis, Civitas est subjectum *Quod & mediatum*; Imperantes autem sunt subjectum *Quo & immediatum*, quia in his immediatè subjectatur illa, iisque mediantibus civitati etiam inest. In nostro Imperio Romano-Germanicò, quia non est purè Monarchicum, sed ex Monarchia & Aristocratia mixtum, Majestas non est apud solum Imperatorem, sed penes reliquos quoque Proceres atque ordines ea conspicitur.

XXII.

**T**andem dicitur in definitione, quòd Majestas sit in civitate summa potestas *ubique*. Quo ipsò indicatur eum, qui Majestate gaudet plenariâ & in totâ sua latitudine acceptâ gaudere simul summo imperio circa omnia ad Rempub. spectantia negotia, quia ea demùm plenaria & omnibus numeris absoluta Majestas est, quæ exhaurit Rempub. & ad omnia  
fese



3  
sefe extendit jura. Quæ pro objectorum varietate diver-  
sa, commodè autem à *Lampadio part. 2.* reducuntur ad du-  
as classes, nempe vel versatur Majestas circa Res *divinas &*  
*Ecclesiasticas*, vel circa res *humanas & politicas*. Ad res divi-  
nas & Statum Ecclesiasticum pertinent cumprimis jus Re-  
ligionem introducendi, reformandi, tolerandi & con-  
servandi; item jus & potestas constituendi & confirmandi  
Episcopos & Ecclesiæ Ministros, jus consilia convocan-  
di &c. Ad res humanas & ad Statum Politicum pertinent  
reliqua Majestatica, quæ itidem duplicis sunt generis, quæ-  
dam enim usum habent *in toga* seu statu pacato, ut sunt jus  
ferendi, abrogandi & interpretandi leges, jus & potestas  
Magistratus & judicia constituendi, conferendi dignita-  
tes &c. Quædam verò in *Sagò*, seu in statu bellico obti-  
nent, ut potestas bellum indicendi, fœdera pangendi, pa-  
cem ineundi, Legatos mittendi &c.

### XXIII.

HÆc dicta sunt de definitione Majestatis. Antequàm  
hinc abeamus, occurrunt quædam quæstiones de na-  
turâ Majestatis, quas prius verbis Laconicis decidamus,  
neesse est. Et quidem (1.) quæritur: *Utrum salvâ & inte-*  
*grâ manente Majestate possit ea communicari cum aliis?* antequàm  
ad hanc quæstionem respondeatur, sciendum, Communi-  
cationem seu concessionem Jurium Majesticorum posse  
fieri dupliciter, (1.) *cumulativè*, ita ut communicatum jus  
nihilominus maneat apud communicantem. (2.) *Privati-*  
*vè seu abdicativè*, ita ut jus communicatum communicans  
non retineat amplius; sed totum & in solidum in alium  
transferat. Priori modo jura Majestatica omninò salva  
manente Majestate communicari possunt, si scilicet in  
tantum communicentur, ut alter ea pro lubitu non possit  
exercere; sed ipso in exercitio dependeat à communican-  
te. Quæ communicatio à Juris consultis dici solet *com-*  
*muni-*



*communicatio per usurpationem.* Posteriori autem modo communicari non possunt, quia sic non manent penes communicantem, & hæc communicatio vocatur à Jctis *communicatio per translationem.* Ex dictis patet etiam responsio ad illam alteram quæstionem huic cognatam, *Utrum hujusmodi majestatis jura alteri communicata possint revocari?* R. Si communicatio facta fuerit privativè seu abdicativè, vel per translationem, revocari non possunt, nisi revocatio fuerit *reservata.* Etenim cui jus Majestatis h. m. communicatum est, jam jure proprio possidet & debet, atque invito etiam communicante exercere potest. Quòd si verò tantum cumulativè per *nudam usurpationem* communicatio fuerit facta, tunc licet communicans expressè sibi non reservaverit, revocationem tamen ipsi tacitè reservasse intelligitur, & per consequens etiam revocare poterit, si sc. fontica quædam potest dari causa, v. gr. si is, cui communicata sunt jura Majestatica, iisdem abutatur. Sin verò de potestate temerè revocandi sermo est, illa citra *expressam reservationem* non admitti poterit, quamvis per usurpationem communicatio tantum facta fuerit, nisi facta fuerit per modum delegationis tantum, nec illa delegatio rationem privilegii obtineat. Et hæc de hac quæstione dixisse sufficiant.

#### XXIV.

**S**ECUNDÒ loco lubet eam tractare quæstionem, *an Majestas rectè dividatur in Realem & Personalem?* Hæc distinctio, (ut rectè B. Stahlus in orat. de duplici Majestate docet) Veteribus erat incognita, inter Recentiores autem Politicos Patrones invenit minimè contemnendos, quos inter Jacob Martin. 2. Polit. c. 20. Reinhard König part. 1. Theatr. Polit. c. 13. n. 11. Christ. Matthias Dithmarsus. 1. 3. syst. Polit. Exerc. 2. sect. 1. Kirchn. de Repub. disp. 2. th. 3. Christoph. Besold. l. 1. Polit. c. 2. t. 3. Joh. Camman de Jure Maj. l. th. 70. 75. Heindr. Velftenius Cent. quæst. Polit. dec. 8. q. 3. ad fin. Christ. Siebenthal colleg.



*colleg. Polit. Exercit. 7.* Est autem secundum hos *Majestas Personalis*, quæ collata est in personas, cum quibus concidit, & à quibus in alias transferri potest. *Realis* verò iis dicitur, quæ *Reipubl.* perpetuò inhæret & cœva est, nec per decessum Imperantium unà expirat, sed quamdiu corpus *Reipubl.* durat, permanet. *Personalis* contradistinguitur *Realis*, non quasi & ipsa *realis* non sit, hoc est in re ipsâ non existat, verùm ideò ut intelligamus, eam h. m. personæ adhærere, ut adjunctum adhæret subjecto suo; contra *Realis* *Reipubl.* h. e. *Universitati*, quæ non nisi fictæ *Personæ* nomen induere potest, adhærere dicitur.

XXV.

**V**erùm enim verò hanc ipsorum sententiam falsam & erroneam esse ostensu facile est per talismodi Dilemma: *Si duplex datur Majestas in una eademque Repub. tunc aut utraque erit summa aut una erit summa, altera non summa.* Utrumque contradictionem involvit; prius quidem ex eo, quia si duæ summæ potestates darentur in una *Repub.* tunc neutra esset absolutè summa, quemadmodum si duo entia infinita darentur in rerum natura, neutrum esset reverà infinitum, limitaret enim unum alterius naturam & essentiam. Sicuti ergò contradictionem apertam secum trahit, dari duo entia in rerum natura summa atque infinita; ita eodem modo contradictionem involvit, dari duas *Majestates* sive potestates summam in una eademque *Republica.* *Posterius* itidem manifestam importat contradictionem. Concedunt enim *Patroni* hujus distinctionis, *Majestatem* esse in qualibet *Repub.* summam potestatem, quæ præter *Deum* *immortalem* superiorem non agnoscit. Jam eò ipsò, dum dicunt, *personalem* esse *reali* inferiori, eam non summam esse dicunt, simulque *majestatis* naturam atque essentiam evertunt & *Majestatem* non *majestatem* esse asserunt, cum ut concedunt dissentientes,

C 2

ma.



majestas nihil aliud sit quam *summa in civitate potestas*.  
Summum autem esse & tamen ab alio dependere, non nisi  
contradictionem sapit.

XXVI.

**N**Os autem asserere nulli dubitamus, in una eademque  
Repub. nonnisi unam tantum Majestatem five sum-  
mam potestatem reperiri, eamque pro diverso respectu  
nunc Imperanti vel Imperantibus, nunc Reipubl. attri-  
bui, & Imperantibus tanquam subiecto primo ac imme-  
diato. Reip. tanquam subiecto communi & mediato.  
Quam si quis eò respectu, quo Reipubl. tribuitur *Realem*  
& eò quò Imperantibus adscribitur, *Personalem* appellare  
velit, ita tamen, ut non duæ realiter distinctæ Majestates  
introducantur, sed una eademque saltem diversis nomi-  
nibus propter diversum respectum indigitetur, tunc non  
habet nos repugnantes.

XXVII.

**N**E autem Propugnatores contrariæ sententiæ aliquid  
sine ratione dixisse videantur, hinc inde quædam cor-  
radunt objecta, & quidem prima vice ponunt hoc; quod  
sc. *majestas Personalis à Reali* separari possit *realiter*. Nam  
personalis, inquiunt, cum personâ deficit & quasi moritur.  
*Realis* autem perpetua est & tamdiu durat, quamdiu Resp.  
non planè evertitur. At telum hoc non auratum est, nec  
cuspide fulget acutâ, sed obtusum & habet sub arundine  
plumbum. Quis enim concedit Majestatem personalem  
deficere & mori posse, deficiente personâ Majestaticâ?  
Eatenus quidem Majestas deficere videtur, quatenus in  
eo subiecto amplius non est, in quo antea erat, accuratè  
autem si loqui volumus, non moritur Majestas, non de-  
ficit, quando moritur persona, sed saltem ea in aliam

quan-



quandam personam continuatur, ut Reipub. iterum eâ  
mediante inharere possit. Et ut major lux nostræ sen-  
tentia affulgeat, rei lumen ab exemplo est accersendum.  
In *regno successivo* moriente Rege eadem Majestas, quæ in  
Patre erat, continuatur illicò in Filium, quam tamen quod  
Reipublicæ novo mediante subiecto inesse incipiat, no-  
vam quodammodo appellare licet. In *Electio* autem  
*Regno* illa ad universum populum redit, nisi lex quædam  
fundamentalis aliud suadeat; quod vel ex eo liquet, quia  
Majestas, cum sit forma accidentalis, sine subiecto esse  
non possit; Jam verò post mortem Regis non amplius est  
in ipsius persona, nec etiam est in Rege eligendo, quia is  
nondum est. Ergò necesse est, penes populum tunc resi-  
dere Majestatem.

### XXIIX.

**H**Oc ponte dejecti aliud quærunt effugium dicentes,  
quòd *Personalis Majestas* possit limitari & restringi; *Realis*  
autem semper maneat illimitata & indeterminata. E. rea-  
liter differunt. Hoc argumentum, quamvis apud mul-  
tos plausum fortassis & approbationem meritum fuerit,  
tamen si in id paulò acriùs considerationem intendamus,  
deprehendimus, rem eo minimè reddi expediam. Nam  
accuratè hic distinguere debemus inter Majestatem ratio-  
ne *superioritatis*, & in longitudine & inter Majestatem ra-  
tione *objectorum* & in latitudine suâ consideratam. Priori  
modò si limitatur Majestas, ne quidem Majestas amplius  
dici potest, hoc ipso, quod ab alia superiori dependet, à  
qua limitata quasi & retriicta est. Posteriori autem modò  
concedimus eam limitari & ad certa objecta quædam re-  
stringi posse; sed tunc illa se habet non ut tota ac integra  
Majestas; sed ut pars saltim Majestatis, altera Majestatis  
parte adhuc penes populum residente. Quemadmo-  
dum ergò pars à parte aliàs realiter differt, ita etiam hoc



mōdo Majestatem limitatam & illimitatam realiter differ-  
re non absurdum existimamus.

XXIX.

**E**ffet quoque jam agendum de illa questione nobilissima  
juxta & jucundissima; *An & quomodo Majestas soluta sit  
legibus?* Verū chartæ angustia plura addere verat, id-  
circo receptui canimus, DEOq;

SIT LAUS, HONOR & GLORIA.

---

## SUPERPONDIA.

I.

Majestas non est soluta legi-  
bus divinis.

II.

Majestas non est soluta legi-  
bus naturalibus.

III.

Majestas legibus merè positi-  
vis ab ipsâ Majestate latis  
soluta est tum quoad vim  
dire-



directivam, tum quoad  
vim coactivam.

IV.

Majestas non est soluta legi-  
bus, ut vocant, fundamen-  
talibus.

V.

Majestas non recipit magis  
& minus.

VI.

Quæritur, quid sentiendum  
de illô communi versiculo?

Cor sopit, at pulmo loquitur, fel commoveat  
iras,

Splen ridere facit, cogit amare jecur.

VII.

Q. An hominis affectus sint  
plu-



plures & vehementiores  
quàm ferarum? Affirm.

VIII.

Sine Affectibus languet o-  
mnis actio.



**N**aturam prodest Majestatis didicisse,  
Admittet sic TE promptius alma Themis.

*Literatissimo atq; Politissimo Dn. Respondenti, Amico  
& Fautori suo honorando bonæ scævæ ergo*

*adponebat*

PRÆSES.

Wie hoch ein hoher Prinz auf seinem Throne sitzt;  
Wie weit die goldne Kron auf seinen Haaren leucht;  
Und wie ein irdisch Erz nicht zwar dem Himmel gleicht/  
Doch etwas ehnlich ist: Darüber ist erhitzt  
Herr Keulings heißer Sinn. Er lehrt wie auf der Erden  
Die Fürsten Götter seind. Er thut gar wohl daran/  
Und giebet zu verstehn / wie er izt bricht die Bahn/  
Daß er beyh Aeneas kan ein Achates werden.

Dieses setzte seinem Geehrten Freunde und  
Tischgenossen zu Ehren auf

Zacharias Hügel / von Praußnitz  
aus Schlesien.

FINIS.











ULB Halle  
005 132 622


3



VD. 17











B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

No. 13.  
#V. 1664, 22  
23

B. V.  
POLITICA

STATE,

Max. coadjuvante

philosophicâ indulgente

SIDE

E CHRISTO-

gen/ Molhusino, Amplifs.

h. Adjuncto,

cenſuræ ſubmittit

NDENS

EYLINGIUS,

- Luſarus,

Martii

loſophorum.

A E,

COBI BAUHOFFER,

OC. LXIV.

